

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

XXIX.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

XXIX.

Salutem in Domino.

ET ego, Ornatisime D. Magister Erasme, in ea sum, in qua tu, sententia, de certaminibus superiorum temporum, post mortem D. Lutheri exortis, de pace & concordia doctorum, de labore D. Jacobi Andreae, denique de Illyrico. Tametsi enim necessaria fuit initio, cum multorum animi timidiore essent, quam causa DEI & Evangelii postulat, quorundam *passiva*, qui & adversariis jam suo penè lubitu grassantibus se opposuerunt, & socios à lapsu, cui propinqui & videbantur, & erant fortasse nonnulli, retraxerunt: tamen mutatis temporibus, cum manifestum fieret, infirmitatem in illis fuisse, non malitiam, bellum hoc protrahendum minimè fuit: sed quia adepti essent id, propter quod bellare cepissent, receptui canendum. Non enim bellum propter bellum, ut daret semper, sed propter pacem, ut ea, sublatis iis, quæ impediebant, magis vigeat, à prudentibus Imperatoribus suscipitur. Esse autem jam perfectum id, quod isti suis certaminibus se unicum quaesivisse dicunt, D. D. Jacobus Andreae, sed non *audere*, demonstravit. Illyrico vehementer suavisimus, ut prioribus explicationibus contentus, judicium permittat Ecclesiae. Quid effecerimus, tute vides. Sed Jhenenses ipse fortassis conditionibus pacis futurae non contineri arbitratur, ut qui nullam nisi turbatam volunt habere Ecclesiam. Alias existimo ipsum promissis, ad Wittembergenses quod attinet, satis facturum. Valde miramur, D. D. Andreae & Bidembachium, ad illa tam nostra quam Illyrici postulata, nihil respondere, qua ipse pacem cum aliis Ecclesiis cupit inire. Hæc ad priorem tuæ Epistolæ partem respondere fuit visum. De Brunone *et* *quod* ego quoque idem sentio, & eadem me cogitationes exercuerunt. Tametsi enim tanta ego ejus in discendo operatus non sum, quanta tu, fraterque tuus, M. Philippus, tamen & Scholæ miserabilis fors vehementer me afficiebat, & illud de Astrologicis judiciis mirum mihi videbatur DEI judicium.

De Basiliensi Ecclesia, & ex vestris ad herum literis, & D. D. Ostermanni relatione, cognovimus ea, quæ triste quidem esset audire, sed *sciamus* tamen haberent, ut mirabilem, ita piis jucundam. Quantam, DEUS bone, tragediam excitaturi illi fuerunt, si res aliter cecidisset? sed jam labore & dolore, ut Plalmus inquit, gravidi, vanitatem pepererunt. Itaque Aeterno DEO ego quoque gratias ago, qui impiorum conatus tam potenter & clementer fregerit. Nimirum specimen dederunt illi spiritus, quo ipsos agitari, in suo Testamento dixit D. Brentius, Arianici. Neque vos latere arbitror turbas Heydelbergenses, ubi quidam Arianismum, & hoc multo etiam vaniora & magis blasphemata paulatim introducere sunt conati. Sed & hos confusos, jam captivos detine-

detineri, aut in fuga latitare, sine dubio audivistis. Ita ubique furit Satan, sed & DOMINUS suam potentiam & majestatem ubique exerit. Hæc ad te prolixius, mi Erasme, quem scio communi Ecclesiæ calamitati vehementer affici, ut habeas, quod & tecum doleas & in dolore tecum gaudeas. Hæc enim pressura est, quam in mundo habemus: sed inter hæc gaudium spiritus conservantis Ecclesiam & suos sub tribulatione.

De Rebus nostris credo te à domesticis certiolem fieri. Ad me quod attinet, D. Scholarchæ, 16. Januarii, tecum, post unum ferme annum, quam infervire cepi & Ecclesiæ & Scholæ, transegerunt, constituto stipendio quinquaginta florenorum, & Senatus quoque decretum, de Ecclesiastica functione, & stipendio florenorum centum quinquaginta, repetierunt. Sed præterito hoc anno triginta floreni minus mihi numerabuntur. Quod beneficium cum Clarissimo viro, tuo parenti, & meo patrono acceptum feram totum, ut qui mihi penè dormienti id confecerit, volui hac ipsa commemoratione ostendere, esse in me animum gratum, utcumque referendi gratias desit facultas. Quod superest, Filio DEI vos & vestra studia etiam atque etiam commendando. Salus, quam mihi à Reverendo & clarissimo viro D. D. Sulcero adscripsisti, gratissima mihi fuit, ac obnixè te oro, ut meo nomine reverenter & officiosè ipsum resalutes, meaque studia ei deferas. Et quia intelligo commendatione tua, tuique fratris factum esse, ut vir tantus eum, quem in vita, & quidem obiter, allocutus esset, amandum existimet, & vobis gratias habeo, & porro, ut viris bonis me commendare pergatis, oro. D. Pastoribus plerisque utriusq; nomine salutem dixi. Gratiâ habuerunt omnes: sed nemo eam D. Flinnero cupidius est amplexus. Qui tantum non quotidie de vestra incolumitate & studiis percontatur, & salvos esse semper jubet & optat. Sed finem tandem habeat loquax epistola. Ego me vobis commendo, & vos vicissim habeo charissimos. Bene in DOMINO vale. III. Kal. Februarii, 1571. Argentorato.

Tui perstudiosus

Johannes Pappus.

Adscribunt vobis salutem officiosè nostri domestici, duo Ulrici, Mugius, idem facit per sæpe Henceliorum Præceptor, Busereutus.

XXX.

Salutem in Domino.

Quod duabus postremis meis necdum, Ornatissime M. Philippe, respondit, facile id studiorum do occupationibus tuis, modo intelligam, de quo tamen non

Uu 3

dubi-